

rent in cordibus, sed etiam inter oculos colloca-  
rent et scriberent super januas, Deut. VI. et XI.  
Quin et gentiles, ut leges suas firmiter sibi im-  
primerent servarentque, cantare solebant et in  
cantilenas vertere; unde cantilenæ dictæ, teste  
Aristotele, sect. X. prob. XXVIII. Quid igitur fa-  
cere decet Christianos? Thus non redolet nisi  
in igne positum: ita nulla sacræ Scripturæ sen-  
tentia vim declarat suam, nisi in mente cocta.  
Ad intima cordis penetralia, non ad otium tan-  
tum admittendi sunt legati Dei, qui sunt verba  
ejus: ergo cum audis vel uni peccato mortali  
decretum esse infernum, cogitare illico debes,  
num forsitan in te non unum, sed plura sint:  
num forsitan occulta aliqua, quæ pro nihilo habes:  
et an adhuc peccare pergas: quam facile  
labaris: et quid si in his moriaris? Quam certum  
et irrevocabile tuum exitium foret: quam tei-  
psum in inferno exosum habiturus esses, etc.  
Idem doceri possumus e cibo corporali, quem,  
ut salubriter sumamus, prius ore mandimus et  
dentibus conterimus, antequam trajiciamus in  
stomachum; futurum alioqui noxium. Bene id  
expressit Sapiens, Prov. XXI. dicens: *Thesaurus  
desiderabilis requiescit in ore sapientis, vir autem  
stultus glutit illum.* Thesaurus est verbum Dei:  
es, in quo is requiescere potest considerationem  
solet, cor est sapientis; Cujusmodi erat sapien-  
tissima Christi mater, quæ, ut dicitur Luc. II.  
*Conservabat omnia verba hæc* (quæ de Christo di-  
cebant) *conferens in corde suo.* Instituebat ergo  
secum ipsa collationem, seu repetitionem quam-  
dam spiritualem, quemadmodum facere seduli  
studiosi post lectionem sibi traditam solent.  
Quod imprimis parentes et patresfamilias cum  
liberis et familiis suis deberent. Stultus contra  
est, qui nulla adhibita consideratione deglutit  
conciones: nihil enim inde fructus capiet.

VI. Semen terræ commendatum pluviis riga-  
tur, solis radiis fecundatur. Ita claudere con-  
cionem gratiarum actio debet, qua mereri pos-  
sumus Dei benedictionem, ut semini jacto  
incrementum dare velit.

Sic etiam post mensam gratiæ Deo aguntur;  
quibus quodammodo Deum nobis denuo obliga-  
mus, vel saltem admonemus, ut postero die  
rursum pascere nos dignetur. Idem facimus in  
fine concionis recitando orationem publicam, ut  
verbum Dei in nobis ex Dei benedictione mul-  
tum fructum afferat. Cujus rei exemplum scribit  
S. Gregorius Pp. in homil. hod. evang. de pau-  
pere paralytico sui temporis, Servolo nomine,  
qui Romæ sub porticu quadam jacens mendica-  
bat, adeo miser, ut nec ad sedendum in lecto  
urgere, nec stare, nec manum ad os ducere,

nec in latus aliud sese vertere posset. « Huic ad  
serviendum mater cum fratre aderat, et quid-  
quid ex eleemosyna potuisset accipere, hoc eo-  
rum manibus pauperibus erogabat. Nequaquam  
litteras noverat, sed Scripturæ sacræ sibi met  
codices emerat et religiosos quosque in hospitali-  
tatem suscipiens, hos coram se legere sine in-  
termissione faciebat. Factumque est, ut quantum  
ad mensuram propriam attinet, plene sacram  
Scripturam disceret: cum sicut dixi (inquit Gre-  
gorius) litteras funditus ignoraret. Studebat in  
dolore semper gratias agere, hymnis Deo et lau-  
dibus diebus ac noctibus vacare. Sed cum jam  
tempus esset ut tanta ejus patientia remunerari  
debuisset, membrorum dolor ad vitalia rediit.  
Cumque se jam morti proximum agnovit, pere-  
grinos viros atque in hospitalitate susceptos ad-  
monuit, ut surgerent et cum eo psalmos pro  
expectatione exitus sui decantarent. Cumque  
cum eis et ipse moriens psalleret, voces psallen-  
tium repente compescuit cum terrore maligni  
clamoris dicens: Tacete. Numquid non auditis,  
quantæ resonant laudes in cælo? Cumque ad  
easdem laudes, quas intus audierat, aurem cor-  
dis intenderet, sancta illa anima a carne soluta  
est. Sed exeunte illa tanta illic fragrantia odoris  
aspersa est, ut omnes illi, qui aderant, inæsti-  
mabili suavitate replerentur, ita ut per hoc pa-  
tenter agnoscerent quod eam laudes, quas au-  
dierat, in cælo suscepissent. » Hæc Gregor. qui  
monachum quemdam suum huic rei interfuisse  
scribit. Hic igitur mendicus terra illa bona fuit,  
quæ semen verb. divini avidè excepit et inde  
fructum in patientia attulit. Iste sine manuum  
et pedum usu sapientiam addidit et in schola  
Dei mirifice profecit. Quid si hunc aliquando  
opponat nobis Deus ad confusionem nostram,  
etc?

## CONCIO VI

## QUINAM MALA INTENTIONE AUDIANT DEI VERBUM.

I. Audiunt ut loquantur. — II. Audiunt ut videant.  
— III. Audiunt ut tangant. — IV. Audiunt ut ges-  
tent. — V. Audiunt ut olfaciant.

## THEMA.

*Qui habet aures audiendi, audiat.* Luc. VIII.

Paradoxa videtur hæc propositio: *Qui habet  
aures audiendi, audiat.* Quis enim præter surdos  
aures nisi ad audiendum habet? An vero aures  
aliquis habet ad loquendum, videndum, palpan-  
dum, gustandum, olfaciendum? Quid igitur est

quod ait Dominus: *Qui habet aures audiendi, au-  
diat.* Verum ita res habet, sicut ait Dominus:  
plurimi sunt, qui non audiunt verbum Dei, ut  
audiant; sed vel ut loquantur et judicent, vel ut  
videant et sciant, vel ut tangant et calumnientur,  
vel ut gustent et oblectentur, vel denique ut ol-  
faciant. Isti profecto aures habent, sed non au-  
diendi: ut enim duæ sunt corporis aures in  
homine, duæ item cordis humani, ut scribit Ga-  
lenus, lib. VI. partium, c. XV. quæ utrinque  
cordi adjacent: ita duplex est auditus, alius  
aurium, alius cordis. Corporis auribus quin au-  
dierint turbæ Dominum, nullum dubium; sed  
præterea cordis auribus audiri voluit Dominus.  
Illud auribus percipere vocatur in Scriptura ex-  
sententia S. Hieron. in cap. I. Joelis: hoc vero  
est audire juxta id Isa. I. *Audite cæli et auribus  
percipite terra, q. d. cælestes viri audiunt, terreni  
auribus percipiunt.* Quam vero diversa sint inter  
se hæc duo, et quam necessarium sit audire  
Dei verbum etiam auribus cordis, ex eo colligi  
potest, quod hæc dicens Dominus clamabat. *Clamabat enim non ad aures corporis, sed ad aures  
cordis, quæ in visceribus latent et arctius obse-  
ratae sunt: quia hoc primum et præcipuum est,  
quod observari debet, ut scilicet corde etiam  
audiatur verbum Dei.* Alioqui enim omnes ex-  
hortationes frustra erunt; siquidem primus hic  
error in audiendo verbo Dei, causa est omnium  
pene reliquorum errorum; sicut si dolium in  
cella rimas agat, licet tu quotidie id repleas,  
nunquam reperietur plenum. Dolium primo re-  
sarciendum est. Miramur sæpe cur tot clamori-  
bus concionatorum tam parum proficiatur; sed  
in causa est quia non habent aures audiendi  
homines. *Cor fatui quasi vas contractum,* ait Ec-  
clesia. cap. XXI. *omnem sapientiam non retinebit;*  
quod proinde resarciendum est.

I. Audiunt aliqui verbum Dei ut loquantur,  
censeant et judicent, quasi veniant ad comæ-  
diam, ut judicent quis bene vel male personam  
suam egerit. Sane si quis audiret egredientium  
e concione judicia, alius diceret: Non est Tullia-  
nus; alius: Non habet vocem; alius: Nimis  
prolixus est. Sed quid de emendatione? Sicut  
erat in principio, et nunc, et semper. Vocatur  
ad concionem populus, ut instruat et emen-  
detur, non ut sit iudex et censor. At certe plu-  
rimi sunt, qui propterea conciones audiunt ut  
habeant, quod carpant, quasi non sui sed præ-  
dicatoris emendandi gratia auscultent; similes  
œnopolis illis, qui omnia in foro degustant vina,  
non ut ipsi emant, sed ut ad alios deferant quod  
melius sit vinum, quod deterius. Tales erant illi  
Ezech. XXXIII. qui dicebant: *Venite et audiamus,*

*quis sit sermo egrediens a Domino. Et veniunt ad te*  
(pergit propheta) *quasi si ingrediatur populus, et*  
*sedent coram te populus meus, et audiunt sermones*  
*tuos, et non faciunt eos, quia in canticum oris sui*  
*vertunt illos. Et est eis quasi canticum musicum, quod*  
*suavi dulcique sono canitur.* Oves Christi dicunt:  
Venite et audiamus sermonem Domini, etc. Alii,  
qui oves non sunt, et velut iudices et censores  
veniunt, dicunt: Venite et audiamus, quis sit  
sermo Domini. *Et sedent coram te,* ait Ezechiel,  
quia uti sedere iudicum est: ita hi se verbi Dei  
iudices exhibent. Et isti vertunt verbum in can-  
ticum oris sui, quia uti comici et cantores profani  
non canunt ut pascant suas, sed aliorum aures,  
traducendo alios. Et est eis, quasi canticum musi-  
cum, quia de concione judicant non secus ac de  
templi musica vel comædia, in quibus ad can-  
tores tantum et actores attendunt et de eis judi-  
cium ferunt. Sic Pharisæi audierunt Christum,  
ut caperent in sermone, Matth. XXII. Eodem  
pertinent, qui idcirco audiunt, non ut ipsi sibi  
applicent, sed aliis, similes gallinæ, quæ grana  
investigata pullis dat, ipsa interim esurit. Vere  
enim Sanctus Gregorius, lib. I. moral. ait: *Verba  
Dei tunc verius mens intelligit, cum in eis seipsam  
quærit.*

II. Audiunt alii ut videant, id est, sciant tan-  
tum, non ut faciant: de quibus S. Augustinus,  
in Psalm. CXVIII. ait: *Verba Dei tenendo agunt  
quidam ne obliviscantur, nec agunt vivendo ne obli-  
viscantur.* Nonne stultus foret æger ille, qui solli-  
citus de bono medico, ubi eum nactus est, sedulo  
discit ægritudinis suæ statum et remedia, quibus  
curari queat: laudat illum vehementer et remu-  
neratur: et tamen non curat adhibere remedia,  
sibi ab eo præscripta? Sic Balthasar cum vidis-  
set Dei minas scribentis ad parietem, vocat sa-  
pientes et Danielem, sollicite investigans scripturæ  
interpretationem. Quam cum intellexisset sibi  
portendere mox interitum, nihil inde permotus  
est ad correctionem, nec gemitum edidit, sed  
admiratus solum Danielis sapientiam eumque  
purpura induit et tertium in regno fecit, Dan. V.  
Ipse eadem nocte occisus est. Si princeps aliquis  
hoc belli tempore instrueret et augeter armarium  
suum omni armorum genere, et interim de mi-  
lite non cogitaret, profecto male sibi consuleret.  
Nihilo sanius agit ille, qui intellectum tantum  
suum spiritualibus doctrinarum armis munit,  
manus vero suas non adhibet ad operandum.  
Hujus rei typus erant, pincerna et pistor Pha-  
raonis, Genes. XL. quorum iste somniabat, ges-  
tare se super caput tria canistra farinæ, e quibus  
comederent volucres: alter vero tenere se in  
manu calicem et porrigere regi suo atque expri-

mere in illum uvas. Porro Josepho interprete, pistori suspendium, pincernæ absolutio denotabatur. Pistor ille typus illorum est, qui verbum Dei, veluti farinam supra caput tollunt: dum intellectu solum id apprehendere student, quod profecto devorabunt aves illæ diabolicæ quæ in hodierno evangelio comederunt semen secus viam jacens. Pincerna manu calicem tenens et Pharaoni propinans eos denotat, qui Dei verbum manibus etiam terunt et exequentur. Actio igitur auditui conjungenda est. Ut enim verbum divinum nunquam non producit Spiritum sanctum, qui est amor: pari ratione verbum prædicatum producere debet Spiritum sanctum in cordibus nostris, non tantum illuminare.

III. Audiunt alii ut tangant, id est, exprobrent, cachinnentur et illudant, quibus I. Par. XVI. dicitur: *Nolite tangere christos meos et in prophetis meis nolite malignari.* Tangunt enim christos, qui prædicatorum dicta subsannant, et veluti profanis digitis sacra attingunt: malignantur, qui ea maligne et perperam usurpant vel exponunt. Jam si nefas est laico tangere res sacratas, ne dicam profanare: cur non item irreverenter tractare et usurpare verbum Dei? Certe hi sunt, qui in hodierno evangelio conculcant verbum Dei pedibus, dum abjecte de eo loquuntur et cachinnantur. Jam alibi observavimus quod severe scribit S. Augustinus, in I. L. homiliarum, hom. XXVI. « Quid vobis (inquit) plus esse videtur? Verbum Dei an corpus Christi? Si verum vultis respondere, hoc utique dicere debetis, quod non sit minus verbum Dei, quam corpus Christi. » Et ratio in promptu est, nam propterea induit corpus humanum Deus, ut nobis loqui humaniter posset et cæli viam commonstrare juxta id Luc. IV. et Isa. c. I. *Evangelizare pauperibus misit me.* Jam si veneramur linguam, dentes et guttur Christi, quæ instrumenta loquelæ fuerunt, cur non ipsa ejus verba, instrumentis illis fabrefacta? Si malleum et similia instrumenta, quibus conficitur horologium, custodis, cur non et horologium ipsum? Certe Dominus ipsa verba Dei margaritas et sanctum vocat, vetatque canibus dari et projici ante porcos, Matth. VII. *Nolite, inquit, dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis et conversi dirumpant vos.* « Canibus (inquit Greg. Nazianz. orat. I.) sancta projicimus atque ad porcorum pedes margaritas mittimus, profanis auribus et animis doctrinam divinam evulgantes. » Sanctum dicitur verbum Dei per eminentiam quasi plenissimum sanctitate, quemadmodum et ipsemet Christus ab angelo vocatur sanctum, Luc. I. *Mar-*

*garitæ, ait Hieron. I. II. de serm. c. XXXI. quæcumque spiritualia magni æstimanda sunt. Et quia in abdito latent tamquam de profundo eruuntur, et allegoriarum integumentis quasi apertis conchis inveniuntur.* Igitur uti sancta caute et honorifice involvi solent et margaritæ conchis inclusæ in profundo maris latent: ita par est tractari et asservari verbum Dei. Verum uti canes monstrantibus sibi baculum aut lapidem oblatrant magisque exacerbantur: similiter uti porci, si pro glandibus uniones eis objectares, oggrunrent et infesti fierent: ita faciunt detractores et sanniones. Sive enim minetur concionator baculis Scripturæ, sive pretiosas Scripturarum sententias suaviter exponat, semper invenit qui canum instar illos mordeant et oblatrent, et qui porcorum instar sacra conculcent, rideant et contemnant. Tales erant principes sacerdotum et populus, II. Paral. ult. *Qui subsannabant nuntios Dei, et parvipendebant sermones ejus, illudebantque prophetis, donec ascenderet furor Domini in populum ejus et esset nulla curatio. Adduxit enim super eos regem Chaldæorum et interfecit juvenes eorum gladio in domo sanctuarii sui: non est miserus adolescentis et virginis et senis nec decrepiti quidem, sed omnes tradidit in manibus ejus.* Et si quis evasit gladium ductus est in Babylonem captivus. Theopompus historicus cum ex veteri testamento quædam profanæ suæ historiæ ridicule conaretur inserere, subito in terram decidens insanire cœpit. Refert Eusebius Cæsariensis. lib. VIII. de præd. evang. qui et addit, Theodorum quemdam tragicum, qui idem in tragœdia quadam attentabat, continuo cæcitate percussus fuisse. Sed mirabile est, quod nunquam ita vapulet concionator auditorum linguis, quam cum eorum vitia perstringit. Disputativæ et altæ speculationes pro concione libenter audiuntur et laudantur; sed cum vitia præsertim in particulari exagitantur, tum incipiunt murmura, fulgura et tantum non fulmina. Mirabile id quidem, siquidem in omni arte laudatur scopi et finis consecutio. Si enim balista quis jaculatur, nihil aliud cupit, quam scopum attingere, et ubi attigerit laudatur: si errat, irridetur. Solus prædicator tunc laudatur et approbatur, cum a scopo suo, qui est morum correctio, aberrat, cum extra propositum peregrina et sublimia tractat, adeoque alle nimis jaculatur et neminem tangit.

IV. Audiunt alii ut gustent, qui ea tantum audire gestiunt, quæ jucunda et fabulosa adeoque ad gustum ipsorum sunt, quibus loquitur apost. II. Timoth. IV. *A veritate quidem auditum avertent; ad fabulas autem convertentur.* Apponuntur etiam in conviviiis vina dulcia et nova, sed in parva

quantitate, quia eorum copia non conducit: ita etiam pro concione dicuntur aliqua jucunda, sed non iis inhærendum; sunt enim velut sacccharum et vehiculum medicinæ, sunt condimenta cibi tantum ideo apposita, quia delicatus est stomachus hominum hujus temporis et vetera mox fastidit, nova semper quærit. Jam vero qui condimenta solum desiderant, similes sunt Israelitis illis, qui cæpe et alia (quæ condimenta potius ciborum, quam cibi sunt) desiderarunt, Num. XI. similes apibus, quæ aliis præteritis, floribus tantum insident et inde mel decerpunt: ita enim illi pulchre dicta tantum observant. Similes vasi hederaceo, ex hederæ ligno confecto, quod Plinio teste, lib. XVI. c. XXXV. et Pierio, lib. LI. vinum defæcatum non retinet, et si infundatur vinum aqua mixtum, aquam retinet, vinum per poros effluere sinit. Ita isti sanam doctrinam non recipiunt, dulcem et inanem quærent. Unde Act. XVII. spernunt Paulum et seminiverbium vocant; sed quæ interdum admiscentur faceta, fabulosa, curiosa: illa retinent, extollunt, commendant. Tales fuisse Græcos, testatur apostolus, I. Cor. I. qui sapientiam quærebant. Et patet ex Demosthene, qui coram judicibus Græcis aliquando capitis causam pro reo dicens, vidensque judices alio conversos et sermocinantes, nihil ad ea, quæ dicebantur, attendere, deserto argumeto, fabulam de umbra asini narrare cœpit, dicens: Quidam conduxerat asinum, quo Athenis veheretur Megaram; in itinere ardente sole meridie non habens aliud umbraculum, depositis clitellis sub asino sedens, ejus umbra semet obtegebat. Cæterum id agaso non sinebat, hominem inde depellens, clamansque asinum esse locatum, non asini umbram. Alter item ex adverso tenebat, asseverans etiam asini umbram conductam esse. A rixa ventum ad verbera, inde ad jus et tribunal. Hæc locutus Demosthenes, repente descendit et discessit. Revocatus a judicibus ut reliquum fabulæ enarraret, ait: Itane de asini umbra libet audire, viri vero de vita periclitantis causam audire gravamini? Refert Aristophanes, in vespis; Plut. in vita Demosthenis. Atque hos ipsos apostolus, II. Cor. II. vocat adulterantes verbum Dei, quia scilicet uti adulter non intendit generationem prolis per adulterium, sed tantum voluptatem libidinis; ita etiam illi in verbo Dei sive audiendo sive prædicando, ad gustum et jucunditatem attendunt, non ad fructum et emendationem. Quæ certe non parva insipientia est, qualis infantum, qui picturas tantum litterarum mirantur, litteras non æstimant. « Quid iudicii nobis foret, (ait P. Alphonsus Rodriq. p. I. exere.

tract. I. c. XIX.) de tali infirmo, qui veniente chirurgo ad eximendum sanguinem, nollet id permittere, sed animo oculisque tantum defixus in instrumenta artis, diceret: O quam bellum scalprum chirurgicum, quam elegans novacula! Ubi facta sunt hæc omnia? Infelix quid hæc ad te? Brachium exere, sanitas tua quæritur, non isthæc suppellex. Tales sunt et isti, qui verborum dumtaxat folia artificiumque dicendi, non autem ad dictorum succum, nervum, substantiamque, quæ ipsis necessaria est ad profectum, attendunt. Recte hi conferuntur cum cribro, quod granula floremque farinæ transmittit, solis retentis paleis. Narrant divinæ litteræ, Esdr. II. quod Esdra prælegente librum legis populo, tantus in eo planetus et clamor sit excitatus, ut compulsi sint levitæ quietem silentiumque populo imperare, ut Esdras posset lectionem legis prosequi. In quantam, Deus bone, hæc nostram cedunt confusionem et ignominiam, qui a gente illa Judaica tantum adhuc absumus. »

V. Audiunt alii ut olfaciant, qui obiter tantum audiunt et mox obliviscuntur, quasi sufficienter audisse et nihil aliud supersit. Sed quæro ex te: Potesne tu satiari ex odore ciborum? Comedere vis cibos, non odorari tantum. At qui audire quidem Dei verbum, non facere volunt, olfaciunt non edunt. Istos S. Jacobus, in ep. can. c. I. comparat viro consideranti se in speculo. Nam mulier ideo speculum inspicit, ut deformitates emendet: vir non item. Verbum Dei speculum est representans semetipsum, cuivis. Sed multi id inspiciunt virorum instar, qui licet aliqua ex concione narrare sciant, ea tamen opere præstare non curant. Propterea, Exodi XXXVIII. fecit Moyses labrum æneum de speculis mulierum ad ostium tabernaculi; quia scilicet voluit Deus, ut qui lavari a sordibus vellet, per Dei verbum id ageret, ad instar mulierum, quæ considerantes se in speculis maculas abstergunt. Ejusmodi mulier fuit matrona illa, de qua Joan. David in verid. Christ. capite XCVII. Ea requirens a domesticis, num concio esset facta, illisque respondentibus, factam esse, eo quod interfuissent, imo notabilia quædam ex ea proferrent: *Dicta est, inquit, sed necdum facta est concio, superest ut eam nunc faciatis et quæ audistis opere adimpleatis.* Ejusmodi erant auditores illi, qui in festo pentecostes concione Petri audita dixerunt: *Quid faciemus?* Actor. II. Quibus respondit Petrus: *Pœnitentiam agite.* Fuerunt autem isti, qui nos ita pridem in Christi necem conspiraverant. Al quid nunc Christiani multi referunt ex concionibus? Forsaq animum alterumve dictum elegantius, proverbium aut historiolum, quam quidem domi

recensent, sed nequaquam sibi applicent. Quos quidem Plutarchus ait similes esse iis, qui intrantes vel transeuntes hortum floribus consitum, unum tantum aut alterum flosculum decerpunt, ut eum aliquamdiu naribus admoveant et odorantur : ex quibus alii, ut medici et pharmacopolæ conficere solent præstantia pharmaca. Ecce tibi aures, vel ethnico homine teste, non ad audiendum, sed ad odorandum solummodo apertas. Quid igitur restat, auditores, nisi ut emendemus et purgemus aures nostras a tam noxiis defectibus? Maneant ergo aures intra sphaeram activitatis suæ et audiant verbum Dei, ut ad aures cordis perferant ad faciendum fructum trigessimum, sexagesimum, centesimum.

## CONCIO VII.

QUARE CHRISTUS CLAMAVERIT : QUI HABET AURES AUDIENDI, AUDIAT; SIVE DE JACTURA VERBI DEI.

I. Ob verbi divini præstantiam. — II. Ob verbi et laboris jacturam. — III. Ob hominum perversitatem. — IV. Ob imminens eorum malum. — V. Ad contestandam innocentiam.

## THEMA.

*Hæc dicens clamabat : Qui habet aures audiendi, audiat.* Luc. VIII.

Nemo sanæ mentis facile clamat, nisi urgentem clamandi causam habeat. Quod si homo prudens sine causa non clamat, multo minus Deus sapientissimus. Clamat autem Deus in hodierno evangelio : *Qui habet aures audiendi, audiat.* Maximam igitur absque dubio et consideratione dignissimam habuit clamandi causam. Ea vero facile ex evangelio eruitur : clamat enim ex dolore, quod semen verbi Dei pereat. Res profecto mira! Non clamavit enim Dominus, quando flagellabatur, coronabatur spinis, crucifigebatur; et clamat cum verbum suum in nobis perire videt : an quia major est hic dolor ipsi, quam passio fuit? Et quidem verbis illis : *Qui habet aures audiendi, audiat* : quinquies usus est Dominus : nullibi autem ea cum clamore protulit, præterquam in hoc evangelio. An quia auditio verbi divini res omnium maxime necessaria est et fundamentum christianæ perfectionis ac salutis, ejusque jactura damnum omnium maxime deplorandum? Ita omnino. Sed quia hoc pauci agnoscunt, id Domino præstante ostendemus.

I. Propter verbi Dei præstantiam, ut homines ad illud audiendum excitet et auditores attentos reddat. Videmus in foro sæpe circumforaneos

tota die ad ravim usque clamantes et aquæ vitæ præstantiam jactantes, necnon plures iis auscultantes pecuniasque suas pro aquis illis expendentes. Et ad quid est illa aqua? Forte ad confortandum stomachum aut pellendum noxium aerem, etc. O rem magnam, quæ tantos excitat clamores, tot attrahit auditores et emtores, quasi salus integræ urbis inde penderet! Et quid est verbum Dei? Aqua viva, saliens in vitam æternam, Christo attestante ad Samaritanam, Joan. IV. cum ait : *Si scires donum Dei et quis est qui tibi dicit : Da mihi bibere*, (similiter si auditores intelligerent aquæ illius vim, et quis loquatur in concionatore) *tu forsitan petiisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam*, aquam videlicet sapientiæ salutaris, ut vocat Eccles. cap. XV. et intelligit Theodoretus. Hæc aqua vitæ potata a pestilenti peccatorum aere præservat. hæc confortat animam contra omnes tentationes incurrentes, abluit conscientie maculas, dum hominem ad contritionem et pœnitentiam instigat, fecundat et inebriat agrum cordis nostri, ut plurimos virtutum flores et bonorum operum fructus faciat, recreat et refrigerat æstuantem hominem, quod sensit Petrus cum dixit : *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes*, Joan. VI. Ad hæc in vitam æternam salit, id est, audientem salire facit. Quoniam igitur hæc aqua tam pretiosa est, merito ad eam homines clamando invitat Christus. Sic enim et Joan. VII. in die festivitatis magno, clamavit : *Si quis sitit, veniat ad me et bibat*. In quæ verba S. Chrysost. hom. L. ait : *Sitim intellexit verbi Dei* : et iterum : *Qui sitiunt, poculum quam cupidissime hauriunt, et ita recreantur*. Ita etiam decet, ut simili cupiditate verbum Dei audiatur : est enim non minus necessarium animæ, quam aqua corpori. Hinc cum maximum minatur supplicium Deus minatur penuriam verbi Dei, ut Amos VIII. dicens : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. Et commovebuntur a mari usque ad mare et ab aquilone usque ad orientem circuibunt quærentes verbum Domini, et non invenient*. Id quod evenit hæreticis, qui cum nunquam purum Dei verbum audiant, nunquam convertuntur dum vivunt. Quemadmodum apud Romanos gravissima erat pœna, aquæ et ignis interdictio, ex qua necessario civis migrare in exilium et urbe excedere cogebatur : ita etiam in Ecclesia Dei gravissimum est supplicium plecti penuria verbi Dei, sic enim paulo post e gratia Dei homines excidunt et ad dæmonis servitutem ac multoties in hæresim exulant. Unde Ecclesia nemini hoc supplicium unquam infligit, ob ejus atrocitatem. Interdicit enim ali-

quibus reis usum sacramentorum, auditionem s. missæ, conversationem cum fidelibus : non tamen interdicit eis auditum verbi Dei; quia hoc aliud non esset, quam infantulo subtrahere alimentum, sine quo diu vitam servare nequit. Ne miretur igitur quisquam, quod tam sæpe et tam ardentem concionatores clament contra eos, qui verbum Dei non recte vel omnino non audiunt; vident enim quanti res sit momenti, quanti pretii, quantæ necessitatis verbum Dei; vident quantum id sitire debeant homines, licet ipsi non sitiant. Et propterea clamare eos jubet Deus per Isaiam, cap. LVIII. *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam*. Propterea apostolus tam serio injungit Timotheo et omnibus concionatoribus : *Testificor coram Deo et Christo Jesu, qui judicator est vivos et mortuos, et per adventum ipsius et regnum ejus : prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obseca, increpa, in omni patientia et doctrina*, II. Timoth. IV. Quid quod ipse damnatus epulo, postquam in inferno guttam aquæ obtinere non potuit, clamans rogat Abrahamum, ut mittat Lazarum ad quinque fratres suos, ad prædicandum et testandum illis supplicium suum, ne et ipsi veniant in eum locum tormentorum, Luc. XVI. Bone Deus, damnatus clamat rogans, ut prædicetur vivis verbum Dei, ne damnentur : et non clamabunt concionatores nec audientur ab hominibus? Et audeat adhuc aliquis dicere sibi necessarias non esse conciones? Clamabunt aliquando in nos fideles, si eis non prædicaverimus; unde apostolus dixit : *Væ mihi est, si non evangelizavero*, I. Cor. IX. Et clamabimus vicissim in illos, si nos audire noluerint.

II. Propter seminis jacti et laboris suscepti dispendium. Quomodo enim non clamat, videns tam pretiosi seminis nonnisi quartam partem cadere in terram bonam, reliquas omnes perire? Quis enim agrum illum coleret, qui nonnisi quarto anno fructum afferret, vel nonnisi quartam partem, et in quo semper tres perirent? Et si clamat, quod aliqui verbum Dei sine fructu recipiunt, quomodo non clamaret in eos, qui omnino id non recipiunt? Si clamat in eos, qui habent aures, sed non audiendi, quomodo non clamaret in eos, qui omnino non habent aures? Sane qui ad nuptias et cœnam suam vocavit invitatos per servos suos, illis venire nolentibus vehementer iratus est, et partim perdidit illos ac civitatem eorum succendit, Matth. XXII. partim juravit neminem eorum gustaturum cœnam suam, Luc. XIV. vocat Deus homines ad cœnam et nuptias gloriæ suæ, per verbi Dei præcones : illique abeunt in omnes terræ angulos et clamant usque

ad nauseam, tota quæ hebdomade cogitant, quomodo mandatum regis sui proponere apte queant, ut persuadeant invitatis epulum nuptiale; sed interim quid fit? Idipsum quod Abderitatum oratori, qui cum diu multumque apud Agidem Lacedæmoniorum regem perorasset, nihil aliud effecit nec responsa accepit, quam illud : *Quantum temporis tibi opus fuit ad dicendum, tantum me silentem audisse dicit*, Plut. in Laco. apoph. Tantumdem efficit ut plurimum concionator : quamdiu ille locutus, tamdiu et auditus est : præterea nihil. Quæ res adeo indigna est, ut clamoribus contestanda et inculcanda fuerit. Imo præcepit Dominus discipulis suis, talibus prædicandum non esse, Matth. VII. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos; ne forte conculcent eas pedibus suis*. Id vero facimus, profanis auribus et animis, ut ait Gregorius Nazianz. orat. I. *doctrinam divinam evulgantes*. Quis enim neget tales esse porcos primo, qui transeunt juxta margaritas concionum, nec aspicere eas dignantur : deinde, qui cum audierint, eas derident, judicant, vel ad profanos jocos applicant atque ita pedibus suis conculcant? Denique, qui audiunt quidem, sed rostro tantum suo volvunt, non tamen ad cor transmittunt? Sane verbi Dei contemptus causa est, cur Deus ab hominibus omnino recedat. Ita enim quia Judæi repulerunt illud, conversi sunt apostoli ad gentes. Et quia priore sæculo idipsum Germania in multis partibus repulit, translatum est ad novum orbem : quod et nobis metuendum! Sanctus Antonius de Padua, cum homines eum audire nollent, abierat aliquando ad prædicandum piscibus, qui in flumine ad Ariminum certatim adnatarunt, quasi illum audituri : quod factum ad confusionem hominum. Nunc vero necesse aliquando foret prædicare canibus, quorum interdum plures in templo sunt, quam homines.

Accedit, quod jactura verbi Dei non auditi nequeat per pœnitentiam resarciri, quod tamen in aliis fit. Nam tametsi de negligentia audiendi verbi Dei conteraris et absolvaris; non tamen ideo recuperas doctrinam, quam neglexisti; manebis enim adhuc ignorans vincibiliter et expositus multis peccandi periculis : sicut discipulus, qui se de diuturna absentia purgat apud magistrum suum, recipietur quidem, sed manebit aliis indoctior, nec recuperabit doctrinas se absente traditas : nisi ardente studio adhibito compenset, quod neglexit.

III. Propter hominum perversitatem, qua verbum Dei respuunt vel sine fructu audiunt. Quod enim non omnia semina jacta, sed quartum tan-